

gressum se facinus omnino pulchrum : sed pulchrius adbuc aggressorum fuisse , si ut in nauticum apparatus flamma , ita in Regis caput ferro grassari licuisset . Demiratus adolescentis indolem Mahomethus , non Porsenam Regem , sed barbarem feritatem secutus , eum cum sociis medium secari jussit . Patres postquam illum suo præmio ornare non potuerunt , dote ejus sorori ex publico data , annum fratris salaryum constituere . Hybernabat Neapoli classis , eratque imperator (ut dixi) oppido & classi munendæ intentus , dum Persarum Regis & Catharini Zeni literæ ad Principem & Senatum eo allatae sunt , quibus idem fere petebatur , quod & per legatum paucis ante mensibus ; eas subito Mocenicus triremi ad id parata Venetias preferendas curavit . Quibus Patres moti , confestim ingentem tormentorum numerum undique expediunt ; yasa ad hæc aurea magnifice cælata , Veronensis panni vim maximam , & ex purpura multos , nonnullos etiam aureos Regi dono destinant : centum præterea juvenes , qui æneas machinas exercent , quibus Thomas Himulanus est præfectus . Josephus Barbarus , homo magnus natu , verum Persicæ linguæ non ignarus , est missus , qui publico nomine ad Regem munera defferret : quorum tanta vis fuit , ut tres onerariæ ad ea convehenda instructæ sint . Omnibus itaque paratis , Barbarus prospera usus navigatione , in Cyprum delatus est , mox ubi in maritima Ciliciæ aut Syriæ venisset , ad amicum Regem transmissurus . Mandant ad hæc Patres Mocenico per literas , ut ad Ufunca-sani jussa habeat classem paratam , confestim eo iturus , quo ab illo accerferetur .

Othomanus interim , Byzantio præsidiis munito , ingentibus copiis in Asiam transmiserat , ut tanti belli incendio occurreret . Venetus & ipse (quia fama erat , Caramanos fratres , Persarum Regis socios , quos Othomanus paterno regno spoliarat , maritima Ciliciæ oppida oppugnare) Persæ gratificaturus in Cyprum sub vernum tempus cum tota classe venit , ut maritimis auxiliis Caramanas opes juaret . Idem ferme equitum aliorumqne navalium sociorum

1472

1473